Opuscula

ACCRESCENS
In Plenilunio
Ætatis, Virtutum & Meritorum ŁUKOMSCIANA LUNA,
dum

ILLUSTRISSIMUS & REVERENDISSIMUS D.

NICOLAUS ANTONIUS ŁUKOMSKI,
ABBAS LANDENSIS, S.R.M. Secretarius,
ſecundas Sacerdotii Primitias DEO Omnipotenti offerret

In vim tantæ felicitatis & applauſus,

per

M. ANDREAM LIPIEWICZ, in Alma Univerſitate Cracov: Philoſophiæ Doct: Matheſeos Profeſſorem, Geometram Juratum,

Officioſiſſimo cultu

DEMONSTRATA.

Annô quô

Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech DEO Patri, in Ara Crucis Cruentum obtulit Sacrificium. 1747. Die 1 Januarii.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

In Gentilitium Insigne
ILLUSTRISSIMI ABBATIS



Luna Planetarum postremo sistitur Orbe:
Ast Tua de primo creditur esse loco.
Sic decet ut maneat LUKOMSCIA Cynthia prima,
Quam CRUX fert supra Sydera celsa Poli.

ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE

ABBAS,

Mecænas Gratiosissime.

PErvetusta GENTILITIA TUA LUNA, tot à sæculis Lechæum decurrens Olympum, hodie tandem primis Calendis Januarii secundas DEO Te offerente Primitias, Plenilunium in Novilunio & Novilunium in Plenilunio absolvit. ABBAS ILLUSTRISSIME, MECÆNAS GRATIOSISSIME. Nova hodie ŁUKOMSCIANA LUNA apparet, ubi peractô fortunatissimè Regalis Sacerdotii Annô quinquagesimô, Annô inquam Gratiæ, Annô Jubilæi, iterum Supremo Numini renovas immolare hostias, & AVITAM CYNTHIAM Plenilunium tenere demonstras, cùm tota in splendoribus virtutum & meritorum resplendeat Tuorum. Plenilunium in Novilunio habet, quia cùm sis plenus dierum, plenus immortalium factorum ABBAS ILLUSTRISSIME, facies Tua ùt Aquilæ juventus ante Justitiæ transformatur Solem, irretortam inaccessibili Numini immergendo pupillam. Aliàs Novus

& Antiquus Mysta sistis ad Altare DEI ILLV. STRISSIME ABBAS: Novus es, quia elevatìs Cælum versùs manibûs iterum Numina terrigenis acclinas propitia, iterum ferventì ad Aras exæstuans pietatis flammâ accensam DEI extinguis iram, & obdurata mortalium corda effusìs ab oculis lacrymarũ fontibûs frangis ac emollis. Antiquus Mysta es: quia Ille, in Cujus pectore pristinus Amoris Divini flagrat zelus, charitas inflammatur proximi, Religio floret, pietas intenditur. Bonus Paterfamilias es: nova & vetera profers de thesauro Tuo; aliàs Ecclesiæ radicatam fidem, Sacratissimo Cistercio Ordini honorem, Landæ quandam immortalitatem addis. Tantæ ergo felicitati Tuæ ABBAS ILLVSTRISSIME applaudit Academicus Cãdor; qui sicut nullo fucato depictus colore, ita Magno Tuò Nomini devinctissimus. Intra festiva secundarum Tuarum Primitiarum acroomata alium triumphalem Tibi non erigit colossum, nisì GENTILITIAM CRVCEM: in qua nil leges, tantùm pro magnis in Ecclesia DEI laboribus Tuis, pro magnis meritis & virtutibus millenas annorum decades & Benedictiones Divinas. Quas precari non desinit

Illustrissimi Nominis Tui

Adorator

Author Operis.

ACCRESCENS
In Plenilunio
Ætatis Virtutum & Meritorum
ŁUKOMSCIANA
L U N A.

Maximum quod
dari in rebus humanis,
ultra quod creſcere & augeri nequeant:
Magiſtrâ edocemur experientiâ.
Etenim
habent cuncta ſuam thulen,
extra quam
ampliùs ferri ac dilatari
B nec

nec innatum, nec desuper ipsis concessum.

Ipsa

NATURA NATURANS

vel ideo omnia

in mensura, numero & pondere locavit;

ut videret Orbis:

singula terminis suis limitari.

Sic

præfixit metam magnitudini,

revocavit ad calculum multitudinem;

& inæstimabili Cleopatræ unioni

pretium indidit ac valorem.

Sit Gigas!

quantitatem tamen molis non excedet;

sit Alexander Magnus;

tricubitalem supra non assurget mensuram.

Anteponatur Maximis:

magnitudinem non transcendet.

Crescat centenis annis quercus:

ultra præfixum tamen non excrescet terminum.

Luxurietur frondibûs Cælum versùs

immortalis in Libano Cedrus:

Sydera non tanget.

Extendat renascentes indies suos Dodona palmites:

extra Delphos non frondescet.

Exundet Mare:

margines & littora, quibûs coarctatur,

non

non transgredietur.

Eja est!

habent amplissima Regna suos limites,
ultra quos
nil spectat ad Garamantas & Indos;
quod ad Arcadiam, aut Macedoniam.
Sunt lineis puncta,
quibus limitantur;
sunt Cælis sui Poli;
in quibus sistunt.

Ipse intellectus Divinæ particula auræ,
quanquam intelligendo fit omnia:
à solo vero non recedit;
voluntas potentia ex se indifferens,
in bono quiescit;
neq; rebus desunt magnitudinis termini,
quos attingendo
ampliùs eis crescere & augeri
non plus ultra.
Hic est rerum sublunarium status:
alia
sub Concavo

ŁUKOMSCIANÆ LUNÆ

naturæ dispositio;
ubi
magna majorantur, majora attolluntur,
& maxima omnem excedunt Quantitatem.

Nesciunt

 sub

ſub Gentilitia Luna
ima tenere
ŁUKOMSCII,
qui ipſis ab incunabulis à ſummo cæpêre,
ſummum nunquam deſerunt,
magnificentiùs ſemper in altum eluctando.
Hæc
ŁUKOMSCIANA LUNA
vix in Lechico reſplenduit Hemiſphærio,
illico
in plenilunio honorum ſtetit,
Orbi Sarmatico
pari cum Sole jubare
(*nam æmula Cynthia Phœbi*)
fortunatiores invehens dies.
Nullam unquam patitur Ecclipſim,
tota virtutum, tota meritorum
erga Eccleſiam, Religionem, & Patriam
circumfuſa ſplendore.
Si Nilum parvum ſpectare non licet,
altum Sanguinis ŁVKOMSCIANI Mare,
ex quo
tot Lechico Senatui meridiani conſurgunt Soles,
ex quo
tot pretioſi ad Coronas Regum leguntur uniones,
per quod

optatas

optatas bonæ spei adnavigant Insulas,
quod
fortunatis intumescit fluctibus,
vastum & immensum in primo sui fonte apparet;
adeo:
ut nullis coarctetur littoribus,
nullis claudatur marginibus.

Ita est:

parvis tantùm per declivia ad summos montium apices ire concessum;

Magni ad magna nascuntur,
quorum Cunæ ad eminentiam gradus.

Vtiq;
Rosæ ad purpuram, florum Reges lilia crescunt.

Simplex palmes
antequam verticem attollat,
priùs humi serpit, verritq; foliô pulverem;

Dodonea quercus
statim à radice ramos
in hastam Palladi, in caduceum Mercurio porrigens,
Coelum cacumine ferit.

Hæc est planta
ŁUKOMSCIANÆ DOMUS:
à qua
Bajulatores Orbis Lechæi prodeunt Atlantes,
à qua

Domitores Monſtrorum in cunis naſcuntur Hercules,
à qua
non timidi pro Patria mori procedunt Heròës.

Domus hæc

cæpit primordia tanta:
ſi in ortu ſuo

Lukomſciana Luna Illuſtriſsima,

quanta in meridie honorum ſpectanda?
ſi Arbor
Conſanguinitatis ŁUKOMSCIANÆ
in ſui radice
facit una nemus,
quantæ proceritatis erit?
dum
in Mareſchalcales Scipiones, Clavas, & Curules effloreſcet.

Mare hoc

ſi à primo fonte exundat
certe
Sarmaticũ virtutibûs & meritis copiosè inundabit Cãpũ.
Creſcit in dies

c

Łukom-

Łukomsciana Luna,

nec in eodem sistit honoris gradu,
altiùs semper ascendendo.
Nativum lumen
utriq; diffundit Hemisphærio,
aliàs
Ecclesiæ DEI, & Patriæ;
totq; meridianos radios spargit meliore coma:
quot Illustria ŁUKOMSCIORUM Nomina,
ex quibus
Hos, Magnos ad Comitia Regni Legatos,
Illos, Æquissimos ad Tribunal Lycurgos,
Alios, imperterritos ad Castra Camillos,
Illustrissimos in Senatu Antistites,
REVERENDISSIMOS ABBATES
adorabat & adorat Patria.
Vnum præ cunctis immortalitatis loquitur fama,
nempe
Illustrissimum & Reverendissimum Dominum,
NICOLAUM ANTONIUM
ŁUKOMSKI,
ABBATEM LANDENSEM,
Cujus
Claritudo Generis, ad æmulationem,

altitudo gloriæ, ad honorum fastigia,
antiquitas Familiæ, ad aurei sæculi cursum.
virtus & merita ad stuporem.

In Elogia Ejus
tenuis si vellet evolare penna,
Crux Gentilitia
ab arte Oratoria absolvit
Laudatorem Calamum;
Avita Cynthia
extingvit Oratorios ignes;
quam
non tātū Palladianæ Noctuæ, ast nec Aquilinæ palpebræ intueri
concessum.
Ergo quò tendis penna?
guttam non affundes Oceano.
Vir hic
Vir DEO dilectus & hominibus
quia
NICOLAUS,
auream dicendi de se absorbet venam.

Et

Et licèt
ad seniles Illius Annos
rejuvenescant Cerebella, reviviscant ingenia,
ipse tamen Eloquentiæ Parens, pusio.
Mercurius
coram Cano Capite Ejus deponit galerum,
Apollo
non priùs arcum, quàm genua flectit;
ut potè:
Cujus veneranda senectus
fructus venerationis progenerat.
Ferventissimus Religionis Zelus
ætatis Ejus temperat ignem,
virtutum ardor
naturalem auget calorem,
solatium ex Sponsa sua Ornatissima
& Filiis,
quos suppares educavit Mitris,
vitam Illi prolongare non cessat
ad invidiam posteritatis.
O si Calame!
tanta rerum magnitudine,
tanta meritorum Majestate presse
æternitati ad legendum scriberes
nunquam de condigno laudata & laudanda

immortalia gesta,
supra humanam fragilitatem evectas,
alteri vix aliquando concessas
Virtutes
Istius infracti pro Ecclesia DEI Atlantis,
Literarum ac Literatorum Assertoris,
Coronatorum Capitũ preciosissimi Vnionis,
Muneris Sacerdotii Magni

Aaronis,

totiusve bonitatis Aurifodinæ,
scilicet
Illustrissimi & Reverendissimi Domini

Abbatis Landensis,

quomodo leget posteritas
quâ justitiâ, quâ prudentiâ, quâ liberalitate polleti
in Cujus Abbatiali pectore
Sapientia recumbit,
Apostolicus residet Zelus.

Vir hic

sinè paritate exemplarissimus,
sinè cerussa commendabilis,
sinè ostentatione celeberrimus,
sinè stimulo operosissimus.

Vir

Vir hic

rara hòc ſæculo Religione in DEUM & Sanctos,
rara profuſione opum in egenos
laudatiſſimus,
in nullum prodigus, in omnes liberaliſſimus,
id unicum ſibi animo ducit:
ut in omnes manus extendat munificas

NICOLAUS.

Perpende Poſteritas
ſi virtutes, ſi Merita Ejus
non tantam laudis materiem poſcunt,
quantum virtutum ſuarum laudatorē exigit
Æternitas.

Raró quidem dies ab ortu ad occaſum
migrat ſinè nube;
Splendor virtutum, & intaminatæ probitatis
Illuſtriſsimi Abbatis,
in Aurora conſpicuus,
in meridie ſplendidiſſimus,
& ad occaſum vergens
Illuſtriſſimus.
In Majeſtuoſa Adoleſcentiæ Indole

Vultum Ejus
formosiorem Ganimede depinxit virtus;
Quem
in primo diluculo vitæ
radiis bonorum operum coruscantem
in flore, maturum omnigenæ felicitatis præseferentē fructum,
in pusione, Magnum ANTONIVM
præsciô futurorum eventuum auguriô
Orbis Polonus & tota Illustrissima Domus
adoravit.
Et sic
in Illustrissimo & Reverendissimo Domino
Abbate Landensi
Stoicum illud Paradoxum veritatem invenit tandem:
talis est Sapientis animus, qualis Mundi Status super Lunam.
Semper illic serenum est:
semper
Illustrissimus Abbas
sub
Gentilitia Luna
virtutis lumine clarissimum,
splen-

splendore charitatis lucidissimum,
exemplaritate vitæ eminet
Primæ Magnitudinis Sydus.
Cùm enim ad Magisterium profecisset innocentiæ,
intellit ex præmissis,
exiguum lucis argumentum esse:
ipsìs tantùm Majorum splendescere Cerìs,
aut
quos Pater Æneas & Avunculus accendit Hector
triumphalibûs radiare ignibûs,
totâ vitâ suâ nil amplius curat,
quàm ut totam Divinam lucem hauriat

Illustrissimus.

Inde
ut splendidior appareat sub Concavo

Gentilitiæ Lunæ

à virtutibus indies, ceu Phæbe à Sole mutuatur lumen,
ut
inter coruscantes in perpetuas æternitates Stellas,
refulgeat velut inter ignes Luna minores.
Splendet humilitate demissa
Cujus exemplô
inflatus alienæ mentis deprimitur tumor.
Relucet prudentiâ mentis,
quâ in rectè agendis circumspectissimus.
Eminet fortitudine animi,

dum ubi cæteri mollescunt, ille ceu immobile saxum.
Rutilat gravitate morum,
quæ Ei ab omnibus venerationem tributariam vendicat.
Coruscat intaminato candore;
Qui congenitum nitorē nec minimâ obfuscavit athomô:
Fulget mansuetudine,
Cui innatum cum omnibus sociare curas,
miscere sermones.
Radiat Principe virtutum liberalitate,
Cujus manus aureæ in omnes effusæ,
fluvios si non superant Iberos, æquant.
Peccarem
in tuam modestiam
Illustrissime Abbas,
si recensere vellem
illam,
quam constanter hucusq; retines,
in DEUM Divosq; pietatem.
In prima ætate
ad Sanctimoniæ & Sapientiæ fastigium
tuæ pari conatu progressiones,
etiam me tacente
illustre Virtutis Tuæ documentum
Orbi Polono & toti Sacratissimo Cistercio Ordini
exhibent:
in Te

citius

citiùs pietatem adolevisse, quàm ætatem;
quia illam de Cælo, hanc cum lacte suxisti.

Quid est
illa extatica pientissimi spiritûs in DEUM tendentia?
si non Religionis Tuæ

Idea;

quid indefessa in Oratione perseverantia?
si non in corde tuo Amoris Divini

Archetypus,

quid illud velle perpetuum laudandi DEUM
& Matrem Ejus MARIAM:
si non vera Contemplationis Coelestis

Imago.

Non blanda hæc, vel obsequiô expressa,
idem de te omnium sensus:
quòd
pietatem tuam mensus est Amor Divinus Archimedes,
sculpsêre Angeli Myrones,
posuêre Charites, coronârunt virtutes

Rumpe
(si per naturam licet)
cordium repagula,
videbis

 omni-

omnium corda in idem conſpirare:
Te
Illuſtriſsime Abbas,
genitum eſſe à Gratiis, lactatum à Muſis, ab ipſis Superis educatum.
Narrant
monumenta & faſti,
quantus ſis noſcendus titulîs?
Cujus
Gentilitia Luna,
nil commune cum terris habet;
quantus ſis noſcendus factîs?
quibûs ora omnium & linguas mereris,
quibûs in cordibus ſingulorum poſt fata perennabis
Superſtes.
Tuus Rerum Divinarum Amor
vocalis Orbe toto Orator,
quantum pro Domo DEI deſudas,
quantum pro Sacratiſsimo Ciſtercio Ordine laboras.
O quantus in Candelabro Eccleſiæ luces!
probas hoc probæ vitæ opere,
loquuntur & parietes.

En

En ipsa Landa
si centum ora, totidemq; linguas haberet,
adhuc vocaliùs Stentorea voce
ùt promulgat & promulgare non cessabit,
quòd Ei Tua benedixisti
Gentilitia Cruce,
ut eruditorum Virorum fertilissima Colonia,
Laureatorum Doctorum pulcherrimum Seminarium,
Mitratorum Capitum fortunatissima Phœnicia,
& ABBATUM fieret celeberrimum
Pantheon,
dum
unus novem Landæ Filios
summis Infulatis adaptâsti honoribus;
unus
tot Sapientissimis Doctoribûs Landam florere fecisti.
Celebrabit
Illustrissime Abbas,
Landensis Basilica
Tuum per sæcula Nomen,
quam
de fundamentis erexisti,
ære contexisti, censibûs dotâsti,

F Augu-

Augustô Augustior,

Qui Landam lateritiam deprehendẽs, marmoreã fecisti,
concoloremq; Tibi Sponsam Tuam Ornatissimã reddidisti.

Verè

Animus Tuus ipse sibi immortalitatis Architectus,
dum Altaria Sanctorum non aurata solùm,
sed ex asse fundata
altiores gloriæ Tuæ erigunt colles.
Prototypus Charitum cùm sis,
vocalem virtutum Tuarum Harmoniam
resonans canentiũ in Ecclesia Chorus svavî declarat Symphoniâ.
Sanctior es Ædificii gloriæ Tuæ Amphion:
non Thebas solùm
verùm Corda omnium in Triumphum trahis.

Verè

Sacratior DEI Oraculorum Apollo
plures in Delpho Landensi meruisti Aras;
nec palmaris tua quandoq; marcescet gloria,
dum in Clara Tumba
eruditissimis Professoribus elegisti Stationem,
ad ripas præterlabentis Vistulæ
Palladi contulisti munera,
laborantibus providisti stipendia,
ut in hac à Te plantata Schola
ex Filiis Patres, ex Discipulis Magistri,
ex his fierent Sapientissimi Doctores;

Tu

Tu ipſe

Scientiarum Emporium, & totæ Athenæ dicendus.

Certè

bona Corporis Tui, bona non tua ſunt,
bona fortunæ Tuæ, bona publica:
nemini non patentes exporrigis aures;
nemini non ſuccurris.

Ex Te

aluntur egeni, vivunt Xenodochia, ditatur

Ciſtercius Ordo.

Quid memorem,

quantus tuus labor & cura circa Divina?
certè Atlanticus,
quia indeficiens.

Ter Generalis Commiſſarius

per Utramq; Poloniam, Magnum
Ducatum Lithuaniæ & Pruſſiam,
quàm multipliciter Sacræ profuiſti Provinciæ,
arguebas ùt Pater, increpabas ùt ABBAS,
obſecrabas ùt Mecænas & Fundator
ut omnes æternæ Patriæ memores eſſent.

Unde

præſcripſiſti bonum ordinem, mutuam charitatem

intimiùs radicâsti, religiosam disciplinam stabilisti.
quid ultra facere debuisti?
quod non fecisti:
Apostolicæ vitæ Imitator,
dum omnia in Cultum DEI, in honorem Cistercii Ordinis
erogas
ne Te quidem Tibi relinquis:
totus in curas & labores pios effusus.
Nulla hoc obmutescet vetustas,
clamabit quilibet de pariete Ecclesiæ Landensis lapis,
quòd per Te subsistat, per te perennet,
per Te sæcula vincat.
Dum & nuper
ad perpetuam rei memoriam,
ad Majorem Cistercii Ordinis gloriam,
ad ornamentum totius Landæ,
cum ingenti apparatu & solemni applausu omnium
Tuæ Ornatissimæ Sponsæ
Ecclesiæ Landensis
bis trecenta felicissimè consumâsti sæcula,
solus si non æternitate, certè ipso mensurād9
ÆVÔ.
Tantarum virtutum, tantorum meritorum,
& beneficiorum tuorum
non immemor DEUS:
benedixit Filiis Tuis in Te
&

& Tibi in Filiis Tuis
in quorum Cordibus
vivis, regnas, perennas

Abbas, Fundator, Mecænas.

Ita est:

Cyneas oris facundiâ, Cato in rebus prudentiâ,
Annibal bellis, Æmilius triumphis, Xerxes
immensitate exercitûs,
immortalitatem peperere sibi:

Illustrissime Abbas,

Magna Opera Tua
ipsa compensant Numina,
dum Te iterum, ac iterum Mensæ Deorum
accumbere faciunt,
& Calicem Salutaris propinant:
ut in æternum vivas.

Vidit Cælum

quantum pro honore Dei, pro gloria Ecclesiæ
fecisti sudâsti, & assisti:

&

G Cur-

cursum Ætatis Tuæ ad Nestoreos protendit Annos:
ut sub Gentilitia Cruce
ad Aram Divinam
Incruentum secundò offerres Sacrificium.

Vidit Cœlum

circa Sacratissimum Cistercium Ordinem
continuis laboribûs infractum,
unde
ut in senili ætate majores adaugeat vires,
secundò Te ANGELORUM reficit Pane:

Vidit Cœlum

ad Benefacta convertisse manus

NICOLAUM,

ut se adhuc meliùs & abundantiùs
de manibus Tuis habeant omnes,
iterum Manus imponere permittit;

Veriq; Numinis

Sanctiorem Flaminem Te agere decernit.

Vidit Cœlum

Thaumaturgum in operibus
ANTO-

ANTONIUM

& admiranda in ANTONIO opera,
quibûs
immortalem posteritati commendat,
unde in senili ætate annos vitæ prolongat
ut
Sacratissimo Ordini in delicium
Illustrissimæ Domui in solatium,
Orbi Universo ad exemplum,
Te
Illustrissimũ Abbatẽ
exhibeat.

Vidit Cœlum

Gentilitiam Tui Lunam
meridiano Virtutum & Meritorum
coruscare splendore,
Quæ
ut in perpetuas æternitates
nativum diffundat lumen,
Hanc iterum

Increato Justitiæ Soli
conjungit.
Tanta Tua felicitas
fortuna Cœlorum est,
fortuna Illustrissimæ Domûs,
Sacratissimi Ordinis Cisterciensis
universalis lætitia,
à qua
etiam privatos animos non excludis.
Ad tanta felicitatis Acroamata
omnium affectus animas, corda accendis
& in vota concitas.
Intuere
Illustrissime Abbas,
gestientis Ecclesiæ Lãdensis præ lætitia vultũ
quó gaudiô, quo securæ felicitatis omine
applaudit Tibi,
dum
Fundatorem Liberalissimum
ut eam
fundet solidiùs: stabiliat firmiùs,
observat iterum Lapidem Angularem jacere.
Jntuere animi facie.

Illustris-

Illustrissimi & Reverendissimi Domini
CONSTANTINI
IŁOWIECKI,
Futuri Abbatis Landensis,
ex ipso oris leges vestigio:
quantâ feratur lætitiâ
dum
Te Patrem suum
iterum Sponsæ suæ ornatissimæ desponsari videt,
Habes omnium in tui venerationem effusos animos,
hodiernæ applaudentes festivitaati
dum
in Mecænatem Gratiosissimum
Superi tantas iterum demittunt gratias.
Quid ultra ages Calame?
implevit meritis fastos
Illustrissimus Abbas,
potiori Jure quàm Trajanus;
Orbem factis, Landam virtutibûs ornavit,
quæ recensere si velis
Typographicæ non sufficient Columnæ.
quia

 quò

quò magis probitatem Ejus exarare attentas,
eò major instat meritorum series:
quam & subsecutura ætas vix totô deprædicabit
sæculô.
Vivet memoria ejus,
Nomenq; Illius curret
semper
per Magnorum ora Virorum,
Qui pro Ecclesia DEI gloriosissimè
pro Religione integerrimè,
pro Zelo DEI Divûmq; honore,
decertat strenuissimè.
Reddant ergo Ei Superi Annos,
quos Ecclesiæ addidit ad labores;
Jllustrissimæ Domui
Sacratissimo Cistercio Ordini & Landæ
una Illius non sufficit ætas,
Vivat sæcula;
etenim
ŁUKOMSCIANA LUNA
semper
in Plenilunio Ætatis, Virtutum & Meritorũ
Illustrissimi & Reverendissimi Domini
Abbatis Landensis
ACCRESCENS.

Ode-

Ode Votiva
SECVNDIS PRIMITIIS
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DNI
DOMINI,
ABBATIS
Landensis
APPLAUDENS.

ADmovent dextras citharis Camænæ,
Instruunt plausus celebresq; cantus,
Ipse Parnassi Moderator ultro
Barbita pulsat.

Manat in partes Heliconis undâ
Cracii longas, Patrium relinquens
Vistulam, Varthæ fluit in fluenta
Præpete cursu.

Lechicus causam speculatur Orbis,
Vnde sit Musis alachris canendi
Impetus? quæ sit ratio Paternas
Linquere ripas?

Sibilo gratô remeare cur sit
Gracio multum latici volupe
Alta semoti in vada? limitesq;
Lingere Varthæ.

Pindus ABBATEM venerando Landæ
Subijcit celsum pedibus cacumen,
Antè quem multo Charitum favore
Exhilarabat.

Præsuli pleno meritîs & annîs,
In Sacro cætu probitate claro,
Plaudit annosum Senium colendo
Turba Novenna.

Quod Chelym tangit, tremulumq; cantum
Promit, & plectrô modulos eburnô
Concitat, nervos quatiente dextra
Tendit Apollo.

Optimè novit NICOLAE doctis
Esse Te Musis Patriis amicum,
Verticem Vandæ, quibus ordinasti
Ritè locandis.

Castalis velox meritò recurrit
Vnda, depressô tumidôq; tergô;
Præsulis cultu reverenter optat
Lambere plantas.

Quòd latex Pindi patitur refluxum;
Cynthiæ motus facit hoc Avitæ,
Fluctibus cûi & favet obsequenti
Gurgite semper.

Hinc

Hinc Tibi Cælum geminet favores,
Gratias præstet Polus affluentes,
Quæ Tui mentem valeant abundè
Exsatiare.

Qui diem primum veneraris Anni
Ritibûs Sacrîs renovando cultum
Numinis, Cœlo Thymiama gratum
Spargis ad Aras.

Hic dies Christi roseo cruore
Extat insignis, Tua quô celebras
Sacra devotus repetita PRÆSVL
Primitiarum.

Certa prognosis legitur vel inde,
Leniùs forsan rubicunda flabit,
Lechicum gratîs Zephyrîs per Orbem
Cynthia Avita.

Te modò servent Superi per annos
Nestoris salvum, cumulentq; fausto
Sortis eventu; struit hunc precando
Musa colossum.

Quem Tuis Sacris manibus prehende
Hic perennantem feret in remotos
Cardines famam, venerentur ut Te
Postera sæcla.

Nomine celsA
Inclyta culmeN
Crux Tibi præstat T,
Omnia solO
Lumine NomeN
Anteit, OrbI
Vna manet, TV
Suscipe cunctiS

ABBAS Landensis splendens virtutibus ut SoL
Bina trecenta refers LANDÆ felicia sæclA
Blanditias Cœli Te Mundi dicere necnoN
Augustæ Patriæ, Quem Gratia Numinis ipsa aD
Sydera celsa Poli tollit, Tu gloria LandÆ

Sæcula vincaS
Æmula PhæbE
Candida doneC
Verget ab ortV,
Lucida, PræsuL
Amplaque lustrA
Vivito, sis TV,
Integer OrbI
Vividus, æstV,
Aspera fatA
Te neque lædanT

Attollit sursum ŁUKOMSCIA Cornua LUNA

ABBAS diu m Superis das munera Sacra fecundA

